

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Homines à dæmone veré obsessos fuisse, testatur S. Scriptura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

do, majus sibi meritum comparet, Deique gloriam promoveat; tum ut dæmones ipsi vici superatique amplius confundantur, qui Deo similes esse affectarunt; non raro etiam in pœnam humanæ superbiæ alteriusve peccati ab homine admissi. Ad infestationes dæmonum externas quod attinet: eas vehementiores fuisse ante, quam post Christi adventum, & etiamnum frequentiores esse inter Infideles, quam in Cœtu Fidelium, extra dubium est.

Dæmon possidere hominem dicitur, quando corporis inhabitat, in eodem varias operationes exercendo, non quidem vitales, quia ipse forma corporis nec est, nec esse potest, cui merè assit, quin organis corporeis tamquam propriis utatur; neque à Deo destinatus est, ut cum corpore totum aliquod physicum constituat. *Obsessio* autem propriè dicitur, ubi dæmon extra corpus existens, illum vexat, & affligit. Utraque tam possessio, quam obsessio sèpe interrupta est, ita, ut spiritus malignus nunc egrediatur, & à diris vexandi modis quiescat; nunc iterum ad corpus redeat, ac pristinam suam tyrannidem exerceat. *Hominem à Dæmone verè possideri posse*, disertè innuit S. Scriptura: nam *Luc. 8. v. 29.* Christus præcipiebat spiritui immundo, ut exiret ab homine. *Multis enim temporibus arripiebat illum*, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Tum v. 30. *Interrogavit illum JESUS*, dicens: quod tibi nomen est? at ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum. Iterum *Matth. 17.* Accedit ad eum (Christum) homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia

*quia lunaticus est, & male patitur: nam s^ape ca-
dit in ignem, & crebro in aquam . . . Et in-
crepavit illum Jesus, & exiit ab eo d^aemonium,
& curatus est puer ex illa hora. Hanc ipsam d^a-
mones ejiciendi potestatem Christus dedit Apostolis
Luc. 9. Convocatis autem Jesus duodecim Apo-
stolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia
d^aemonia, qui etiam hac su^a potestate usi sunt,
quia multa d^aemonia ejiciebant. *Marc. 6.* Eamdem
malos d^aemones abigendi ejiciendique facultatem ab
Apostolis sibi traditam tota semper Ecclesia credidit.
Nequid dicam de plurimis & prorsus stupendis effe-
ctibus, quos nulla non ætas vidit, qui & possessio-
nem d^aemonum, & sacrorum exorcismorum vim
atque virtutem satis demonstrant. Hos autem ne-
gare omnes, superbæ temeritatis est; credere omnes,
nimia^e credulitatis.*

25. Remedium, quo Energumeni liberari potissimum
Exor- queant, sunt exorcismi: quorum alii communes
ci- sunt, quibus sc. d^aemon ad aliquid agendum, vel
simus. ab aliquo cessandum compellitur, velut si d^aemon
Energumenum à loquela impedit, aut per os
Energumeni blasphemat. Alii sunt probativi,
quibus Exorcista utitur ad experiendum, an homo
verè possessus sit. Imprudens tamen erit Exorcis-
ta, qui absque præviis & sufficientibus signis ad
hujusmodi exorcismos continuò descendit. Signa
autem, ex quibus possessio, vel obsessio vera à ficta
& imaginaria discerni possit, sunt hæc & similia:
Si homo peregrino, quod nunquam didicit, idioma-
te loquatur, aut Exorcistæ lingua latinâ utenti aptè
& ad plura respondeat; si ad præceptum lenitivum
dolor omnis subito evanescat, & ad præceptum
proba-